



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

XXVI. Differentia 11. Ad Ecclesiam confugiens secundùm Canones non  
debet extrahi, nisi sit publicus latro, vel nocturnus agrorum depopulator,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

## XXVI.

## DIFFERENTIA II.

Ad Ecclesiam confugiens secundum Canones non debet extrahi, nisi sit publicus latro, vel nocturnus agrorum depopulator, e. Inter alia, de immun. Eccles. Secundum leges autem excipiuntur etiam homicida, adulteri, & raptores virginum. Auth. de mandatis Principum, c. 5. & 7.

Bartol. 22. Ioann. Bapt. à S. Blasio 184.

Canif. 19.

I. EX potioribus hæc Differentia est, in qua sæcularium legum major, quam sacrarum cernitur, contra flagitiosos severitas, Homicidis, adulteris, virginum raptoribus in Auth. de mand. Princ. c. 7. sacrorum locorum tutela negatur. Non enim (hæc ratio additur) talia delinquentibus parcere competit, sed hoc patientibus, ut non talia à præsumptoribus patiantur. Deinde templorum cautela non nocentibus, sed læsis datur à lege.

At e. Inter alia, de immun. Eccles. ita sancitur legitimus: Si liber quantumcunque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, vel in ipso Ecclesie oratio confilus immunitate crimen patiarit. Quæ exceptiones firmant regulam in aliis, atque ita communiter DD. Abb. in e. Inter alia, n. 14. Covarr. l. 2. Variar. c. 20. n. 3. Angel. & Silv. in V. Immunitas. Suar. Tom. V. disp. 23. Vallens. l. 3. tit. 49. Layman l. 4. Traç. 9. c. 3. B. èrius decis. 109. Zerola Part. 1. v. Imm. eccles. Quoeirca hinc Juris civilis constitutio deferenda, & Ecclesie

retinenda moderatio est etiam in foro sæculari, quia facit ad honorem & reverentiam locis sacris conciliandam; quæ cura ad Ecclesie prælatos cum primis spectat. Unde ipsorum decreta præferenda sunt, juxta communem Interpretum sensum. Imela, Abb. Fulgofus, Alexand. Chassan. & alii apud Covarr. l. cit. Piafec. in Praxi episc. Part. 2. c. 4. n. 55.

II. Merito propterea Damhouderus vapulat, qui in Praxi crim. c. 106. n. 12. Ecclesie mansuetudinem, ut nimis laxam, maleficis ac facinorosis plus æquo faventem accusat; unde elabendi occasio & impunitas reis præbeatur, magna justitiæ remora, & dilatio progignatur: ob quam non semel supplicio dignissimi elapsi sint; ideoque ejusmodi jura minimè servanda esse. Cui etiam suffragatur, vel prævit potius Ioann. Faber in S. syn. Inst. de iis, qui sunt sui, vel al. iura. Verùm ejusmodi Aristarchis aliud nihil reponendum cenleo, quam quæ damna ex Ecclesie immunitate proveniunt, non ipsi, sed improborum hominum malitiæ tribuenda esse.